

dia tibi et famis rabie in homines faucibus  
et dentibus ad deuorandum irruere. Quia  
propter sapientes et modesti homines nulla  
fame vel alia media in furta vel rapinas  
in bella et homicidia induci possunt. hec  
igitur que dicunt non proprie signa sunt sed  
magis cause rerum huiusmodi eo modo quo di-  
xi tibi. Quod admodum si quis videt ignem in  
capite alicuius ville que ex lignis edifica-  
ta sit accensum ventumque validum ex illa  
parte ignis venientem intelligere potest quod  
periculum combustionis imminet illi ville.  
etiam toti. Verumtamen quia possunt esse et  
aque copiose et alia adiumenta circa ignem  
et etiam viri fortes et ingeniosi ad defen-  
dendum illam ab imminenti incendio pote-  
rit vel defendi tota vel pars aliqua ab eo.  
Sic est quod cum talia imminet rebus huma-  
nis multis adiumentis defendi possunt ab  
hominum periculis. Consumptis enim pascuis  
superfluitate coloris et longitudine siccitate.  
pluuia data est multo dies precibus prophetarum.  
Similiter et extincta incendia interuen-  
tu sanctorum virorum. Sic pestes et mortalita-  
tes prohibite bella sedata hostibus flagel-  
lis celestibus interfectis. que non nisi per con-  
iecturam et sub conditione predicari possunt talia.  
Nec mirum cum ipso diluuium vniuersali quod  
tribus noe factus est et a particulari quod sub  
deuotione et a pluuia ignis et sulphuris  
et a tempestatibus innumeris cum omnia  
ista essent diuina flagella precibus virorum san-  
ctorum liberati multi sunt ipso clementissimo  
creatore contra iustissimam iram suam fauere  
te votis et precibus dilectorum et electorum  
suorum. Verum de nominationis signa cla-  
dium et aliorum magnorum euentuum in mun-  
do appere consueuerunt in celis et in aere.  
Sicut stelle que dicuntur comete vel crini-  
te et de his fama publica est et vniuersal  
credulitas quod preterit mortis regum et mu-  
tationes regnorum. Et stella illa que apparuit  
in initio regni christiano non fuit de hu-  
iusmodi nec similis ei visa est prope enim terram  
ferebatur. Unde et ducatus habuit quibus  
dam regibus orientalibus usque ad locum et domum  
ipsius regis et institutoris regni christiano usque  
in aere etiam acies ignee seu gladii ferrei visi  
se sunt in regno ytalie imminente clade que  
per gentem Bandalorum facta est. Sic et dra-  
cones ignei per aera discurrese visae sunt mul-  
to diens. De eclipsibus vero solis et lune in-  
consuetis et inuisis adhuc quales futuras  
esse aliqui prophete pre-dixerunt ut solem ver-

ti in tenebras et lunam in sanguinem. et istas  
etiam pre-cedere diem iudicii futuri. Eclipsis  
etiam solis que fere in initio regni christiano-  
rum facta fuit hora vere sexta et luna. xv.  
cum indubitanter per interpositionem lune ipsi soli et  
terre. tunc fieri non potuerit cum et plenilunium  
esset et luna sub terra. Sol vero super ter-  
ram quasi per diametrum tunc distantes et  
a coniunctione sua longissime non est ma-  
gnum aliquid potent. Quo miraculo dy-  
onysius philosophus permotus relicta ydo-  
latria huiusdem temporibus audita predica-  
tione christiane religionis ad ipsam peruersus  
est. De huiusmodi apparitionibus que fi-  
unt in sublimi non est dubitandum quin  
vel pertendant futura non quali acumque. sed  
euentus magnos atque terribiles. prout dili-  
gentissima atque longissima experientia com-  
probatum est ipsa etiam gens christiano-  
rum fines mundi et appropinquante die iudicii ex do-  
ctrina sua et fide expectat multa huiusmo-  
di signa scilicet inconsueta et nec dum visa  
sunt autem ex prudentia et bonitate cre-  
atoris ut sint terrore et sint etiam ad pro-  
mouendum mortalibus scilicet ut auferant  
a seipsis ea quibus creator offenditur et ira-  
scitur et immittit in eos pestes et fames cla-  
des et bella et alia que eos deterrere con-  
sueuerunt ab offensionibus creatoris firmatur  
etiam ex huiusmodi signis et terro-  
ribus credulitas de prudentia et cura cre-  
atoris circa res humanas que que necessaria  
sunt quamque salutaris ad corrigendos mo-  
res et componendam vitam hominum dubi-  
tare non potest nisi qui ratione vti non no-  
uit. Postquam enim virtutem et efficaciam timo-  
ris ad reprimendas animositates homi-  
num et auertendas ab eis que male cupi-  
unt et ad deserendum ea que male diligunt.  
Iam igitur declaratum est tibi ex his et per  
hec quid sciendum sit de virtutibus ce-  
lestibus apud ea que fiunt sub spera lune  
et quantum et circa que extendi oporteat  
eas circa homines et cetera animalia et quod  
non per modum quo putauerunt astrono-  
mi possunt in leges vel sectas nec in artes  
aut disciplinas aut mores hominum. Si-  
militer nec in honores et dignitates prin-  
cipatus aut dominationes rerum huma-  
narum. Declaratus etiam est tibi error  
que est de ymaginibus magicis cum causa que  
inducit illum. fient autem omnia hec tibi  
certiora et clario-ria per ea que patefient ti-  
bi de cura et gubernatione dei altissimi cir-